Zu der

öffentlichen Prüfung

der

Zöglinge des Friedländischen Gymnasiums

welche

Donnerstag und Freitag den 24. und 25. September

im Schulsaale abgehalten werden soll

ladet ehrerbietigst und ergebenst ein

Dr. Robert Unger

Director.

Inhalt:



Neubrandenburg.

Druck der Hofbuchdruckerei von C. Hoepfner.

1846.

Zu der

öffentlichen Prüfung

der

Zöglinge des Friedländischen Gymnasiums

welche

Donnerstag und Freitag den 24. und 25. September

im Schulsaale abgehalten werden soll

ladet ehrerbietigst und ergebenst ein

Dr. Robert Unger
Director.

Inhalt:



Neubrandenburg.
Druck der Hofbuchdruckerei von C. Hoepfner.
1846.

Caput I.

De Philosophia M. T. Varronis.

1. Multo in honore fuit apud antiquos M. T. Varronis philosophia. Neque immerito. Nam id philosophandi genus, quod erat de vita ac moribus, libro singulari tractavit, quo scribens de summo bono, quum insignem adhiberet subtilitatem disserendi, ad ducentas octoginta octo philosophorum sectas, »non quae essent, sed quae esse possent,« pervenit, cujus libri aliquot locos Augustinus servavit C. D. lib. XIX. c. 1. p. 1140 (ed. Bas. 1542.) seqq., ubi leguntur haec: »— nulla est homini causa philosophandi, nisi ut beatus sit. quod autem beatum facit, ipse est finis boni.« c. 3. p. 1145. »— hominem nec animam solam, nec solum corpus, sed animam simul et corpus esse arbitratur. (cf. Varr ap. Aug. C. D. VII, 6.). Proinde summum bonum hominis, quo sit beatus, ex utriusque rei bonis constare dicit, et animae scilicet et corporis. Ac per hoc prima illa naturae (*τὰ πρῶτα φύσεως,* quae Varro c. 3. »primigenia« vocat) propter se ipsa existimat esse expetenda, ipsamque virtutem, quam doctrina inserit velut artem vivendi, quae in animae bonis est excellentissimum bonum.« — ib. »non enim hoc est vita, quod virtus, quoniam non omnis vita, sed sapiens vita virtus est.« — ib. »— Hanc vitam beatam etiam socialem perhibent esse, quae amicorum bona propter se ipsa diligat sicut sua, eisque propter se ipsos hoc velit, quod sibi: sive in domo sint — sive in loco, ubi domus ejus est, sicut est urbs, ut sunt hi, qui cives vocantur; sive in orbe toto, ut sunt gentes, quas ei societas humana conjungit. — p. 1146. »— Ex tribus porro illis vitae generibus, otioso, actuoso, et quod ex utroque compositum est, hoc tertium sibi placere asseverant. Haec sensisse atque docuisse Academicos veteres Varro asserit, auctore Antiocho, magistro Ciceronis et suo«. — Exscripsimus ampliorem ejus fragmenti partem, ut intelligatur, quae fuerit quasi summa eorum, quae Varro de vita ac moribus senserit. Verumtamen nisi perlectis integris illis locis certum judicium de iis quae Varroni plucuerint, quaeve ejus fuerit disserendi ratio, facere non poteris. Nam quum ducentas illas octoginta octo sectas, mirifico artificio usus, excogitasset, remotis ceteris omnibus, tandem in Academia veteri acquievit, cujus placita uberius enarrasse censendus est. Augustinus enim »quantum breviter aperteque (?) poterat« de eo genere quod Varro elegit disserit c. 3. Quod caput ubi diligentius lustravi illico in eam me raptum sensi opinionem, ut quae Cicero Acad. I, 5. Varronem disserentem facit cum his, quae apud Augustinum exstant, intimae societatis vin-

culo arbitrarer esse conjuncta. Non enim dissimulo fieri posse, si duo de eadem re verba faciant, ut easdem res aut inter se similes tradant, sed hic res easdem iisdem paene verbis scriptas video. Veluti ea, quibus Augustinus vitam socialem ex mente Varronis h. e. Antiochi describit, redire vides in his Ciceronis §. 21.: »Nam virtus cernitur in quibusdam, quae non tam naturae, quam beatae vitae adjuncta sunt. Hominem esse censebant quasi partem quandam civitatis, et universi generis humani, eumque esse conjunctum cum hominibus humana quadam societate.« (August: ut sunt gentes, quas ei societas humana conjungit). Simillima sunt etiam quae Augustinus de virtute tradit: »virtutem, quam doctrina inserit, velut artem vivendi, quae in animae bonis est excellentissimum bonum« his Ciceronis §. 20.: „quod autem absolutum, (id est) virtus, quasi perfectio naturae, omniumque rerum, quas in animis ponunt, una res optima." Voces „id est" ut quae turbent omnem sententiam uncis inclusimus; »artem vivendi« autem Augustinus integra sententia, sed abjecto vocabulo proprio vocavit, quod Cicero »perfectionem naturae«; item de »beatissima vita« quae August. refert iis, quae ap. Ciceronem c. 6. §. 22. fin. leguntur. Quae similitudo quominus in omnibus locis cernatur impedit insignis levitas, qua Augustinus Varronis verba descripsit. Quae apud Ciceronem justo ordine disposita sunt, hic vides turbata et confusa. Ut eorum bonorum quae in corpore posita sunt genera permiscuit sic: »bene currere, pulchrum esse corpore, viribus ingentibus praevalere« cf. Cicero §., 19., et partitionem eam, qua »animi quae essent ad comprehendendam virtutem idonea, in naturam et mores diviserunt« veteres Academici, ita turbavit, ut ex eo loco, qui erat de natura, memoriae mentionem faceret, mores omitteret. Quod damnum fidenter confirmo aliunde ita expleri posse, ut et Varronis et Ciceronis his libris inde aliquid commodi accedat. Macrobius enim quod dicit Sat. III, 8. p. 23 Bip. »Varro de moribus morem esse dicit in judicio animi, quem sequi debeat consuetudo«, id vide quam bene conveniat cum iis, quibus Cicero locum de moribus, nimiae brevitati studens, perstringit §. 20 his: »Morum autem putabant studia esse, et quasi consuetudinem: quam partim exercitationis assiduitate, partim ratione formabant.« Igitur quod Varro dixit: »consuetudo sequi debet animum", id Cicero eleganter sic: »Academici consuetudinem ratione formabant«. Et ut res conficiatur, singulari profecto casu factum est, ut etiam altera pars notationis, a Macrobio praetermissa, quae continetur verbis: »quam exercitationis assiduitate formabant«, Varroni reddi possit. Ecce tibi haec, quae peropportune Servius Virg. Aen. VII, 601. servavit: »Varro vult morem communem consensum omnium simul habitantium, qui inveteratus consuetudinem facit«. Macrobius autem noli dubitare, quin quae Varronem »de moribus« tractantem dixisse scribit, in alio nullo quam in hoc »de philosophia« legerit libro, quo praeter hunc ipsum locum, qui est de (vita ac) moribus fortasse nihil, is autem sine dubitatione uberrime tractatus erat. De qua re non est, quod verbum addam, quoniam in aperto est, Macrobii et Servii notationibus expleri seriem sententiarum in libro de philosophia propositarum, quam Augustinus, omisso illo loco, qui de moribus erat, interrupit. Addenda igitur sunt huic de philosophia libro fragmenta notata illa a Macrobio et Servio, et titulus »de moribus«, de quo dubitare video Ritschelium, »de mu-

nalibus« corrigendam esse suspicantem, Ind. schol. hib. 1845.46 p. VI. et de Varronis discipl. libb. p. 12., qui etiam C. Barthium, Advers. VI, 6. logistoricum »Antidamantem de moralibus« fingentem, refutavit, in edit. Popmae. p. 323. est, ut expungatur. Quae quum ita sint, haud scio an nihil dubitationis reliquum sit, quin Cicero in Acad. I, 5. Varronem philosophiam moralem Academicorum veterum suis ipsius verbis, mutatis tamen mutandis, enarrantem introduxisse censendus sit. Quod quam aptum fecerit, non est quod demonstremus. Atque non multum absum, quin etiam ipsum orationis tenorem ad dicentis ingenium accommodasse eum arbitrer, siquidem illo »quasi« et »quaedam quasi« septies repetito notari videtur id dicendi genus, quod ab arte clare distincteque dicendi aliquantum abest. Laborare enim se in graecis his vocabulis latine reddendis Varro ipse dicit §. 6. »quamquam quibusnam quisquam enuntiare verbis poterit — haec ipsa de vita et moribus«. cf. § 24. 25. 41. al. atque proverbium illud sus Minervam §. 18. Varronem aliquo in honore habuisse a Festo edocemur i. v. p. 310. Müll. Sed haec sunt minus certa. Quod autem Cicero Attico scribit, lib. XIII, 12. Varronem Ἀντιόχεια valde probare, et ib. ep. 16. nemini visam aptiorem Ἀντιόχειαν rationem quam Varroni, id jam apertissimum est, quo spectet, quamque habeat causam. Denique ne quis miretur, Ciceronem ex Varronis libro aliquo philosopho quaedam in suos Academicorum libros transtulisse, nulla ejus scriptionis ex qua descripsit facta mentione, praesertim quum in Academicorum primo libro philosophi quidam Varronis libri laudentur, est quod moneatur, hic Varronis liber qui erat »de philosophia«, quin in numero fuerit eorum librorum, quos logistoricorum nomine insignes composuit Varro, vix dubitari posse. In qua opinione etiam Ritschelium video esse, Ind. schol. p. VII. Atqui logistoricorum sane aliqua significatio latere videtur in loco illo memorabili, Acad. I., 3. 9., quo quos libros Varro de philosophia scripserit narratur, de qua re mox dicetur. Atque haec satis sint dicta de eo libro, quem Varro de philosophia scripsit. Ex quibus ita disputatis intelligitur, Varronem in ea philosophiae parte, qua qui fines bonorum et malorum essent investigabatur, deditum fuisse Academiae veteri. Atque in his omnium omnino veterum philosophorum magnus fuit consensus. Est enim hic communis omnibus philosophandi finis, ut sapientia duce virtutem expetant.

2. In altero autem philosophandi genere, quod erat de disserendo, quo, quid verum, quid falsum esset, quid rectum in oratione parumve quaerebatur, et in tertio, quod erat de diis, de natura, de rebus occultis, ad Stoicorum disciplinam potissimum se videtur applicavisse. Mitto, quod ipsius Zenonis illam sententiam: »dialectica et rhetorica est quod in manu hominis pugnus astrictus et palma distensa: illa verba contrahens, ista distendens.« (Fabric. ad Sext. Emp. adv. Gram. p. 289. sq.), suam fecit (p. 202. Bip. Ritsch. Discipll. p. 4.). Jnutile est enim quaerere, quem philosophorum Varro quidvis dicens expresserit, nisi addatur ex quo simul, licuisse hoc Varroni per sui ipsius ingenii naturam, intelligatur. Illis enim et similibus vel accuratissime adnotatis, quamquam ne hoc quidem ea qua par erat diligentia factum esse animum adverti, nihil neque librorum interpretationem neque ingenii, quod in Varrone erat prorsus singulare, cognitionem adjuvari aut augeri, persuasissimum est. Quid enim inde discitur? sci-

licet Varronem se Academicum gessisse et Peripateticum et Stoicum; eidem placuisse Pythagoram, Heraclitum, Empedoclem, Anaxagoram, Xenophanem, et si qui sunt alii vetusti rerum naturalium indagatores; eundem perdidicisse jus pontificium et vel Numae libros penitus nosse; eidem tritas fuisse Euhemeri interpretationes physicas, denique sumpsisse eum haud pauca ex arcanis nefandarum religionum litteris. Quam uberrimam sententiarum inter se diversissimarum copiam si Varronem in quandam quasi saturam congessisse audimus, nisi quo similitudinis vinculo singulae quaeque extrinsecus adcitae sententiae cum ipso Varronis ingenio conjunctae fuerint perspexerimus, ipsam Varronis philosophiam ingeniique indolem prorsus ignorare censendi erimus. In eo igitur est quod elaboretur, ut, quae vis propria fuerit in Varrone philosopho quaeque natura ingenii quum intellexerimus, ex hac certa quasi nota ac formula, quae Varroni sint congruentia, quae non sint, dignoscamus. Huc plurimum facit, ut, quod diximus, Varronem in disserendo et in naturali philosophiae parte potissimum Stoicorum placita probasse intelligatur. Nam in quo omnis Stoicorum philosophia posita erat fundamento, ut homines, quasi spectatores superarum rerum atque coelestium, ortos putarent ad mundum contemplandum et imitandum, ad eam normam Varro in quaerendo et in disserendo ita se totum composuit, ut non solum Stoicis auctoribus rerum rationes naturales scrutaretur diligentissime et, more Stoicorum ubique quaerens qui, quid, ubi, quando fecissent, litteris mandaret, sed finibus, quibus Stoicorum plerique doctrinam suam circumscribebant, haud raro post se relictis, »semitam ingressus minus tritam,« ad occultiora omnium rerum et humanarum et divinarum initia penetrare ipse quaerendo, scribendo alios eodem perducere studeret. Laxum spatium res magna desiderat. Hinc Varronis immensa lectio, librorum innumerabilis multitudo. Sane igitur erat cur, Stoicorum doctrina penitus percepta atque tota in usum suum conversa, vacaret Pythagorae, Heraclito, Empedocli, Epicharmo, Xenophani, erat cur in Platonis et Aristotelis libris addiscendis esset assiduus, denique erat cur mysteria tum Graecorum tum barbararum gentium adiret. Neque tamen id, quae fuit prava hominum quorundam sententia, quo, casu quovis huc illuc raptus, nil seligens, nil rejiciens, omnia undique in fortuitum quemque usum conflaret, fecisse judicandus est, sed id habuit consilii, ut, quum quae suis rationibus accomodatissima essent studiorum profundorum praesidia quaeque sibi comparasset, sapientissimam et sanctissimam Stoicorum disciplinam novis incrementis augeret atque amplificaret. Et haec quidem est illa Varronis sapientia, quam virtutem ipsam esse, persuasum habebat. Academicorum igitur quae erant de finibus bonorum et malorum placita Varroni valde placuisse, displicuisse ἀκαταληψίαν non est quod miremur. Et tametsi est ubi dubitanter prodit quid de diis aliisque rebus divinis sentiat, veluti quum ap. August. c. d. VII, 17. p. 220. Bip. ait: »quum in hoc libello dubias de diis opiniones posuero, reprehendi non debeo, qui enim putabit judicari oportere et posse (al. om. et. hinc recte Scheffer Miscell. Obs. T. VIII. p. 447: dijudicari oportere, post, quum) quum audierit, faciet ipse«, tamen neutiquam eum Academicorum illud praeceptum ita probasse, ut, ne ratione quidem aut conjectura quidquam comprehendi posse ratus, intra opinandi illam probabilitatem totum se contineret, quidquid superest Antiquitatum rerum divinarum manifesto declarat. Ac ne quis

mihi ab hac parte occurat, dicens, Varronem, ut qui Xenophanem Colophonium, Eleaticae disciplinae principem, sequeretur his ap. Augustinum C. D. VII, 17. p. 221. Bip. „sed ut Xenophanes Colophonius scribit, quid putem, non quid contendam, ponam. Hominis enim est, haec opinari, dei scire,“ non ita alienum fuisse videri ab opinando et dubitando, hoc tantum abest, ut rationibus meis obsit, ut egregie suffragetur. Nam Academici novi quod dicebant, nihil posse comprehendi, „διαβεβαιοῦνται περὶ τούτου. ὁ δὲ Σκεπτικὸς ἐνδέχεσθαι καὶ καταληφθῆναί τινα προσδοκᾷ,“ quae sunt Sexti Empirici verba Pyrrh. p. 60; ut Varro, Xenophanem dum laudaret, de qua re infra quaedam dicentur, non tam semet ipsum fugisse censendus sit, quam promovisse eam, qua tenebatur subsilitate et assiduitate quaerendi. Recto autem nos de Varrone in ea prae ceteris philosophiae parte quae erat de natura, de diis, de rebus occultis, ea qua diximus ratione, elaborante pronuntiasse judicio, et veterum scriptorum testimoniis et ipsis librorum Varronis fragmentis comprobatur. Ut nisi philosophia Varroniana, praesertim naturali, bene perspecta et reparata nullum litterarum Varronianarum genus accurate aut intelligi aut explicari posse, meum certe judicium sit. De qua re paucis, ut fert institutum nostrum, jam agetur.

3. Et primum quidem ad ingrediendam ejus studii, quod posuit in amplificanda communi Stoicorum philosophia, rationem, dubito an gravissimum habuerit auctorem Cleanthem, quem quasi majorum esse gentium Stoicum Cicero dixit. Ad quam quaestionem conferre se debebant, qui de his Varronis litteris dedita opera scripserunt. Nam Cleanthem in indagandis rebus occultissimis habuisse se ducem ipse profitetur de L. L. V, 7. Müll. »Sunt quatuor explanandi (verba) gradus. Intimus is, quo etiam populus venit — Secundus, quo grammatica escendit antiqua. — Tertius gradus, quo philosophia ascendens pervenit —. Quartus ubi est aditus ad initia rerum (vg. regis): quo si non perveniam, scientiam ad opinionem aucupabor, quod etiam in salute nostra nonnunquam facit quom aegrotamus medicus. Quodsi summum gradum non attigero, tamen secundum praeteribo, quod non solum ad Aristophanis lucernam sed etiam ad Cleanthis lucubravi.« In his qui »quartum illum gradum, ubi est aditus ad initia rerum« artis grammaticae quandam partem esse putant, videntur errare. Varro enim, quum verborum origines ex eo cognitionis gradu, qui ipsa philosophia altior sit, se repetiturum esse promittit, non acquiescendum esse dicit grammatico origines verborum explicanti neque in communi omnium hominum sensu, neque in grammatica antiqua, neque in philosophia communi; esse enim altiorem quendam cognitionis gradum, ubi, ut omnium rerum initia, ita verborum quoque reperiri possint causae occultissimae. Ad quem ultimum gradum escensurum se sperat quoniam non in grammaticorum commentariis, sed in Cleanthis libris assiduus fuerit. Ut minus consideratum sit Mülleri judicium, Cleanthem monentis iis adnumerandum esse, qui, ut Chrysippus et Diogenes, res grammaticas scripserint. Praeterea philosophum, non grammaticum Cleanthem a Varrone nominari vel inde, quod Chrysippo Cleanthes opponitur, satis certum est. Atque quas ex quarto illo cognitionis gradu monstraverit verborum origines, eas physicas illas deorum interpretationes tantum non omnes, partim ex intima philosophia partim ex ipsa mysteriorum arcana doctrina repetitas, L. L. V, 57 — 74., esse,

facili conjectura assequimur. Quod Cleanthem igitur Varro ita laudat, ut ex ejus scriptis ipsum aliquid praesidii ad occultas rerum causas investigandas deprompsisse intelligatur, id ita comparatum est, ut si quid praeterea similitudinis inter utrumque philosophum sit, indagetur. In qua re quid ex versibus Cleanthis, a Clemente Alexandrino servatis, Varronis saturis adhiberi possit, ut quae, quoniam minus aperta sunt, amplius spatium desiderent, nunc quidem quaerere mittimus: illud non praetereundum, quum Cicero Cleanthem affirmet magnam molestiam suscepisse post Zenonem commenticiarum fabularum reddere rationes, de N. D. III, 24., eumque locum pluribus verbis, quam a Zenone factum esset, a Cleanthe explicatum esse, N. D. II, 24., porro quae Zeno de divinatione scribens quasi semina sparsisset, ea paulo uberiora fecisse Cleathem, de Divin. I, 3., denique eundem: tum ipsum mundum dixisse deum esse — tum totius naturae mentem atque animum — tum altissimum — aetherem, — tum omnem divinitatem astris tribuisse, — tum nihil ratione censuisse esse divinius — N. D. I, 14.: simillimam Varronis fuisse laudem, et tot fragmentis Antiquitatum rerum divinarum et ejus libri, qui fuit de cultu deorum, et plurimis Augustini, Tertulliani aliorumque comprobari testimoniis. Egregie autem quae de Varrone in Cleanthis auctoritate delitescente disputavimus ipsis titulis, quibus uterque libros suos nominari voluit, confirmari video. Huc revocandi sunt ex librorum, quos Cleanthes composuit, indicibus a Diogene Laertio lib. VI, 5. p. 175. in unum collectis hi: *περὶ θεῶν* (*περὶ θεῶν καὶ σελήνης καὶ ἄστρων καὶ ἡλίου*, Plutarchi sunt verba a Menagio ascripta), *ἀρχαιολογία*, *περὶ χρόνου*, *περὶ τέχνης* (h. e. de arte rhetorica, quam teste Cicerone sic scripsit, »ut si quis obmutescere cupierit, nihil aliud legere debeat;« si modo Varro, ut qui omnia rebus, verbis parum tribuerit, singularem de arte rhetorica scripsit librum, quae est Ritschelii sententia de discipll. Varronis scribentis), *περὶ διαλεκτικῆς*. Cum quibus titulis qui Varroniani conveniant unusquisque paulum modo in his litteris versatus vel a me non monitus intelliget. Accedunt alii a Varrone saturis inscripti: *περὶ ἀρετῶν*: Varro *περὶ ἀρετῆς καὶ φύσεως*, sic enim recte Popma post Aldum (1513) litterarum ductus secutus p. 314. Bip. (Omisimus autem incertas bipartitarum illarum inscriptionum partes, de quibus quaerere hic nil attinet); *περὶ φθονερίας*: Varro *περὶ φθόνου* p. 284; *περὶ δόξης*: Varro p. 268; *περὶ τρόπων*: Varro p. 265. *περὶ ἡδονῆς*: Varro p. 267. Quae cum ita sint, quin ex Cleanthis renovata memoria recte aliquid lucis saturarum quarundam titulis afferatur, non dubium videtur esse. Est satura Varronis: *Ἔχω σε. Περὶ τύχης*. p. 278. Bip. Quem indicem quum Popma explicasset: »*ἔχω σε*, habeo te, apte usurpamus, ubi quid nostri juris et mancipii fecimus, quo sensu —. Malim tamen hic vertere teneo te, quod ipsum est elegans genus loquendi, cum rem fugacem quasi manu prehendimus. Sueton in Caesare — »omni Fortunam occupat hora.« Quod Catoni tribuit Lucanus, alludens, opinor, dictum Metrodori philosophi, gloriantis, occupasse se Fortunam — Q. Curtius VII, 8., — et Palmerius Spicil. Gruteri Lamp. T. IV. p. 857. dicens: » — habeo virum — gaudet enim tactum (lenonem) quem dolis suis redegerit, irretiverit, constrinxerit. in simili Plautus: habeo, inquit, virum. Et proverbii faciem habet. nam Varro Menippeam scripsit hoc titulo, *ἔχω σε*«: qui nuper Saturas Vorronis edidit, rem confecisse sibi videtur his: „Inscriptionem repetitam puto ab illo

Metrodori, Epicurei philosophi, dicto, quod refert Cicero Tusc. V, 9. — Metrodorus: occupavi te, inquit, Fortuna —,« Hoc est veterum auctoritatem simul et fastidire et usurpare. At vero, ut recte Popma et Palmerius proverbialis hujus dicendi generis vim aperuerunt, ita parum recte cum Popma Oehlerus Fortunam esse putant, quae habeatur. Alienissimum enim et indignum ingenio Varronis videtur esse, bis posito eodem nomine saturae indicem effingere talem: Habeo te, sc. Fortunam, de Fortuna. Quare dubito an rectius Cleanthis aliquam memoriam in hoc titulo latere suspicemur, fervatam a Diogene Laertio VII. p. 173. »*Λέγεται δὲ, φάσκοντος αὐτοῦ κατὰ Ζήνωνα καταληπτὸν εἶναι τὸ ἦθος ἐξ εἴδους, νεανίσκους — ἀγαγεῖν πρὸς αὐτὸν κίναιδον — καὶ ἀξιοῦν ἀποφαίνεσθαι περὶ τοῦ ἤθους· τὸν δὲ διαπορούμενον κελεῦσαι ἀπιέναι τὸν ἄνθρωπον. ὡς δὲ ἀπιὼν ἐκεῖνος ἔπταρεν, Ἔχω, εἶπεν, αὐτόν, ὁ Κλεάνθης· μαλακός ἐστιν.*“ Ut fortasse hoc fuerit saturae Varronis argumentum — scribam enim etiam ego in his, quid putem, non quid contendam —, ut Varro, sapientem ex forti quo fortunae casus ferat animo cognosci posse, Stoicorum rationes sequens docuisse censeatur. Cui sententiae quum hujus libelli cetera fragmenta, tum hoc: »Sapiens | ét bonum férre potest modice, | ét malum fórtiter ac leviter« in quo justos numeros restituit Meinekius, suffragari videntur. Commemorem etiam de altera illa satura: *Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς.* p. 262. Frequens mentio Herculis a Varrone facta est etiam in saturis. Proverbium autem illud notissimum dictum est aut de Theseo (cf. Küster in Suidam i. v. Ptolem. Hephaest. ap. Photium p. 151. Beck.) aut Milone, aut Tithormo pastore, vid. Lobeckius Agl. p. 1170. ut incertum sit, quem alium Herculem Varro intelligi velit. Novissimus editor, excitatis paroemiographis graecis Gaisfordii, in rem inquirere, quod omnino ei faciendum fuit, supersedit. Nos monuisse satis habemus, Cleanthem ipsum quartum vel quintum esse »alium Herculem,« id quod ex Diogenis Laertii verbis intelligitur his: — *Ἀντλῶ γὰρ μόνον; τί δ' οὐχὶ σκάπτω; τί δ' οὐκ ἄρδω καὶ πάντα ποιῶ φιλοσοφίας ἕνεκα; καὶ γὰρ ὁ Ζήνων — φησί. Κλεάνθης μὲν καὶ ἄλλον Κλεάνθην δύναιτ' ἂν τρέφειν, εἰ βούλοιτο· — ὅθεν δὴ καὶ δεύτερος Ἡρακλῆς ὁ Κλεάνθης ἐκαλεῖτο.* Lib. VII. p. 170. cum quo facit Suidas a Menagio laudatus: *Κλ. ἠράσθη φιλοσοφίας καὶ τοσοῦτον γέγονε φιλόπονος, ὥστε δεύτερος Ἡρακλῆς κληθῆναι.* Quamquam in hac satura cavendum est, ne Varroni secreta jura pontificia explicanti aliquid commune obtrudamus. Macrobius enim quod dicit — »quia is deus (Hercules) et apud pontifices idem, qui et Mars habetur. Et sane ita Menippea Varronis affirmat, quae inscribitur *Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς*, in qua cum de Hercule multa loqueretur, eundem esse ac Martem, probavit,« id, Varronem proverbium illud simili ratione, qua ab aliis de Idaeo et Thebano Hercule dicebatur (vid. Lobeckius l. c. p. 1169. fin.), huic saturae inscripsisse, videtur suadere. Poterat tamen etiam simul Cleanthis memoria inesse. —

Igitur satis multis argumentis, tum certissimis tum, in quibus est quod ultimo loco posuimus, minus certis, Varronem inter Stoicos praeter ceteros Cleanthem sibi elegisse auctorem et ducem ad ultima rerum initia investiganda, nobis videmur comprobasse. Quae ut faceret Varro eo permotus videtur fuisse, quod in Cleanthe prorsus sui similem esse studiorum rationem animadvertisset. Uterque enim, rerum maximarum et occultissimarum inda-

gationem summam non solum oblectationem habere, sed naturalium et coelestium rerum considerationem munus esse optimum et proprium philosopho, persuasisse sibi censendus est.

Jam paucis dicendum de Xenophane Colophonio, Eleaticae philosophiae auctore, in quo viro etiam ipso reconditas litteras fuisse veterum scripta declarant: ut ne hunc quidem sibi praetereundum putaret Varro; idque eum fecisse, locis quibusdam memoratu satis dignis comprobatur. In quibus est, quod supra monuimus, Varronem cum Xenophane sentientem de diis scripsisse, quid putaret, non quid contenderet, quam sententiam Xenophanes dixit versibus his:

»Καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ ἴδεν, οὐδέ τις ἔσται.
Εἰδὼς ἀμφὶ θεῶν τε καὶ ἅσσα λέγω περὶ πάντων·
Εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα τύχοι τετελεσμένον εἰπὼν,
Αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε, δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.«

ap. Sext. Emp. adv. Log. p. 380. al. Adde Th. Bergk. de Emped. p. 18. Deinde, ut taceam versum hunc:

»Εἷς θεὸς ἔν τι θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος,
Οὔ τι δέμας θνητοῖσιν ὁμοίϊος, (οὐδὲ νόημα)«.

cujus ultima verba »οὐδὲ νόημα« a Varronis sententia prorsus aliena sunt, aliosque qui contra creditam deorum speciem humanam compositi sunt, ut quae Varro, multis locis similia professus, ex ipsa Stoicorum doctrina depromere potuerit: in iis quae leguntur ap. August C. D. VI, 5. cl. IV, 27. et Boethium de diis et praes. p. 392: »Primum (genus theologiae, μυθικόν) quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem et naturam immortalium ficta: — in hoc u t d i i f u r a t i s i n t, u t a d u l t e r a v e r i n t ut servierint homini; denique in hoc omnia diis attribuuntur, quae non modo in hominem, sed etiam in contemptissimum hominem cadere possunt,« propius ad Xenophanis verba accedit, quae de re inde a Xenophane etiam post Varronem multorum sermonibus prodita et celebrata leguntur ap. Sext. Emp. p. 593. cll. 280. haec: „Πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρος θ' Ἡσίοδός τε Ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστί. Κλέπτειν μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.“ Denique quod Varro mundum, sive deum, neque natum esse dixit neque moriturum esse, in qua Varronis sententia diluenda multus est Tertullianus ad Natt. II, 3. libros Antiquitatum divin. respiciens, quamque ex satura „de Salute“ (cf. Non. veget. 183.) Philargyrius in Virg. Georg. II, 336. sic prodit: „mundum haud natum esse neque mori,“ simillimam fuisse Xenophanis opinionem a Cicerone edocemur. Acad. II, 37, 118. verbis his: „Xenophanes paullo etiam antiquior, unum esse omnia (neque id esse mutabile), et id esse deum, neque natum unquam, et sempiternum, conglobata figura.“ Quae si sola ponerentur Varronem Xenophanis usum esse litteris, per se vix fidem facerent, sed quum plura eaque certiora in promptu essent, etiam haec ascribere quam celare maluimus.

4. Sed quae hucusque de Varrone naturalium et coelestium rerum curiosissimo disputavimus, ea praemunita video esse explicando loco Ciceronis, parum quum ab aliis tum ab Oehlero, intellecto. Omnium gravissimum enim testimonium non solum de philosophia, sed de omnibus fere litteris Varronis Cicero protulit in Acad. I, 2. 8., ubi Varronem ipsum dicentem facit haec: „Et tamen in illis veteribus nostris, quae, Menippum imitati, non inter-

pretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice: quae quo facilius minus docti intelligerent, jucunditate quadam ad legendum invitati, in laudationibus, in his ipsis antiquitatum prooemiis, philosophice scribere voluimus; si modo consecuti sumus.« Ad quae Cicero respondet; »Sunt ista, Varro. Nam nos in nostra urbe peregrinantes — tui libri quasi domum deduxerunt. — — Tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti: — — atque ipse varium et elegans omni fere numero poema fecisti, philosophiamque multis locis inchoasti, ad impellendum satis, ad edocendum parum.“ Orelli. Inter libros, quos Varro de philosophia scripsisset, enumerari tres scriptiones: saturas, laudationes, prooemia antiquitatum, praeter Oehlerum omnes, qui de hoc loco scripserunt viri docti, intellexisse video. Sed primo loco videamus, quid de Saturis censendum sit. Ex saturis Menippeis ortum Varroni quasi cognomen Menippeo. Quo nomine qui ita utuntur, ut omnes locos hoc nomine insignes ad Saturas revocant, errare certum est. Probus enim Virg. Ecl. VI, 31. p. 352. Lion, rerum humanarum Antiquitates in testimonium vocans, post Varronis nomen addit: »qui (sic (?) Menippeus dictus« reliqua). Et si grammaticum doctrinae copia male abutentem minus idoneum testem esse judicaveris, adest Symmachus de Imaginum libris loquens Epp. I, 4. his: »studium tu quidem Menippei Varronis imitaris,« et Tertullianus Apolog c. 14., qui enumerans, qui quid contumeliose in deos lusissent, laudatis poetis, in philosophis (»taceo de philosophis«) post Socratem et Diogenem Varronem ultimo loco ut quendam irrisorum principem posuit his verbis: »et Romanus Cynicus Varro (ad natt. I., 10. Latini stili Diogenes) trecentes Joves, sive Jupiteres dicendum (ad natt. dicendum est,) sine capitibus introduxit (ad natt.: induxit).« Irrisum in his video Varronem non irridentem; nam Tertulliani esse illos Joves sive Jupiteres, satis clarum est ex eo quod addi: »sive dicendum est.« Quam Varro, Jovem mundum dicens esse, rotundum illum, (in quo loco Tertullianus ipse versatus esse videtur loco admodum lacero ad. Natt. II., 4. p. 173. in.) humana figura melius carentem, qua opinione etiam Xenophanes fuit, proposuit sententiam, eam Tertullianus breviter perstrinxit, verbosius, deos illos quos in Jove inesse Varro putaverat, ipsos enumerans Augustinus C. D. IV, 11. uterque Varronis mentem insulse pervertens. Quam rem omnino perspexit Havercampius, quamquam is etiam ipse Varronem oblique in his taxantem deum Stoicum deprehendi minus recte sibi persuasit. Neque erat quod haereret in verbo inducendi; utrumque enim, et inducendi et introducendi verbum frequens est in novis philosophorum inventis describendis. Cicero N. D. II., 30. Creuzer N. D. I., 16. p. 72. Quare Oehlerus, Tertullianum Romano Cynico laudato »velut digito nobis commonstrasse, in cujusmodi libro ridicula ista Jovum vel Jupiterum cohors fuisset introducta,« saturas eum librum esse putans, I. 1. p. 48. nobis quidem neque de ipsa loci sententia neque de libro, in quo posita fuerit, persuasit. Rectius, ut puto, a Merkelio p. 221. haec verba fragmentis Antiquitt. div. annumerata sunt, quam ipsi dudum proposuimus sententiam in libello de causs. corrupt. rel. Rom. p. 52. — Verum ut ad graviora pergamus, in Saturis Cicero dicit, multa fuisse admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice. Atque quid de dialecticis tradiderit, parum liquet; paucissima enim fragmenta huc trahi posse intellexisse mihi videor; superest intima

philosophia, qua, remota disserendi disciplina, et moralis et naturalis philosophia continetur necesse est, quarum potiorem puto naturalem, quando fragmentorum multo copiosior vis naturae obscuritates quam locos philosophos ad mores et vitam spectantes tractat. Removenda autem nobis de iis verba facientibus, quae ex philosophia admixta fuisse videantur, omnia ea, quibus vitae usus communis, aut historia, aut artes explicantur, commendanturque. Cui sententiae egregie favet illud, quod eodem intimae philosophiae nomine naturalem philosophiam dictam video de legg. I., 5. »penitus ex intima philosophia hauriendam putas juris disciplinam«, quae verba sic explicantur, »natura juris — ab hominis repetenda natura« cf. c. 7. Ac ne quis minus cogitate haec a nobis ita scribi putet, positi in saturis fuerunt, ut ego quidem arbitror, non minus docendi quam deridendi causa, loci gravissimi, veluti de natura hominis, de animae immortalitate multis locis, de rebus divinis fere omnibus, de mysteris, de deorum interpretatione physika, de jure pontificio, de mundo multis locis, de stellis, de musica communi et coelesti, alia id genus quam plurima, quae unusquisque fragmenta Saturarum lustrans, facile ipse reperiet; de occultioribus quibusdam infra dicetur. Interim videndus Oehlerus, qui complures res in saturis tractatas in unum collegit, quamquam eo ordine, ut quae ex naturali philosophia supersint, quaeve ex morali aegre perspiciatur l. l. p. 75. sq. Omnium maxime autem res naturales reconditasque, ut ex intima philosophia petitas, eo dicendi genere quod Casaubonus, a Cynicis sumpto nomine, recte σπουδογέλοιον appellat, in saturis scriptas fuisse, et tot reliquiarum indiciis certissimis lucet, et cum magno Varronis et Ciceronis incommodo a doctis adhuc praetermissum. Nam quibus verbis Varronis oratio apud Ciceronem excipitur: »atque ipse varium et elegans omni fere numero poema fecisti, philosophiamque —« ea ad aliud carmen deperditum quam ad illa vetera Menippea, „multimoda numerositate« insignia (Sidon. Ap. c. 23. v. 150.), nisi pessumdata omni orationis concinnitate referri non licet. Quod ita esse admoniti quibusdam veterum testimoniis omnes perspexissent, si res naturales esse illa quae ex intima philosophia petissè Varro perhibetur, animum advertissent. Nam quum Cicero saturis dicat multa admixta esse ex intima philosophia, si haec magnam, ne dicam maximam partem ex intima naturalium quaestionum subtilitate petita fuisse et Varronis, viri in quaerendo »subtilissimi,« »curiosissimi,« »acutissimi« ingenium suadet, fragmenta attestantur, quod tandem opportunius, quod firmius ei, quam proposuimus sententiae accedere potest testimonium, quam haec Quinctiliani verba Instt. or. I., 4, 4: »Nec ignara philosophiae (grammatica esse potest) quum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos ex intima quaestionum naturalium subtilitate repetitos, tum vel propter Empedoclem in Graecis, Varronem et Lucretium in Latinis, qui praecepta sapientiae versibus tradiderunt.« Habes certissimam interpretationem verborum illorum Ciceronis, quorum ipsorum memoria Quinctiliani haec scribentis animo videtur esse obversata. »Quaestionibus naturalibus« autem subjecit »praecepta sapientiae,« ne moralium locorum saturis simul intextorum prorsus omitteret mentionem. Nec praetereo Lactantii auctoritatem, si qua est in his, Quinctiliani verba, ut videtur, usurpantis Instt. div. II., 12. »Empedocles (quem sua ex Hermetis Trismegisti sapientia hausisse conjectat), quem

necesse, utrumne inter poetas, an inter philosophos numeres, quod de rerum natura versibus scripsit, ut apud Romanos Lucretius et Varro —«. Jam vide, quam apte Cicero saturas Menippeas poëma nominet, non poemata, aut carmen. Nam ut breviter dicam, quod sentio, Saturae, non Saturarum hoc ab Ennio profectum scribendi genus proprium et quasi genuinum sibi poscit nomen. »Olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, Satura vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius — Satura carmina multa simul et poemata comprehenduntur« sunt verba Diomedis III. p. 483.: et Varro »alterum illud et jam prius Saturae genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit.« In quo Quinctiliani (Instt. or. X., 1, 95.) loco, Ciceronis orationi simillimo, siquidem, quod Cicero varium et — elegans« hic »non sola mixtum« dixit, omnis vis est in voce »non sola«, minima in condidit i. e. composuit. Atque in his Casauboni subtilissimae et accuratissimae disputationi nihil habeo, quod addam (vid. de satyrica Graec. et Rom. poesi p. 199 sq. Ramb.), nisi hoc unum, non videri singula carmina mixta fuisse indiscreta poematum varietate, sed totum poematum corpus fuisse quasi saturam (Lydus de mens. p. 30. Roeth.) frugum et pomorum copia instructam. Neque tamen in ipsa satura, universum autem opus intelligi volo, in conditam multarum et diversarum rerum nulla ratione inter se conjunctarum colluviem fuisse arbitror; sed aliquo communi vinculo singula carmina inter se apta fuisse, nec enim Varro talia scripsisset, aut quisquam laudasset, meum certe judicium est. Quod vinculum quale fuerit, propter ingentem rerum proditarum copiam et vastissimam totius operis amplitudinem — si quidem hodie quoque ad centum Saturarum tituli supersunt — incertum est. Ego, quid sentiam, non celabo, ut tamen suum unicuique sit liberum judicium. Plane singularis in hoc viro fuit vis naturae et ingenii indoles. Nam quum alii viri eruditi de singulis rebus singulos libros scribere solerent, Varro plerumque paene infinitam rerum multitudinem, ingenti litterarum orbe comprehensam, uno partu edebat. Fecit hoc in Disciplinarum, in Hebdomadum libris; simile studium Περίπλους ille, quam alii saturam esse putant, fortasse etiam Complexionum libri videntur ostendere, nec Logistoricorum librorum collectio aliena fuit ab hac similitudine; sed imprimis hic nominandae sunt Antiquitates rerum humanarum et divinarum. Atque cum his, si solae res spectantur, saturae Menippeae recte videntur posse aliquo modo comparari. Quid enim non reperitur in saturarum fragmentis, quod ad antiquitates non perineat? Inde ab ipsis primordiis usque ad mortem Varro in Saturis vitam hominis persecutus est: educationem, res domesticas, artes et disciplinas, virtutes et vitia, publica, privata, divina, profana omnia, quid? »omnium rerum humanarum et divinarum nomina, genera, officia, causas aperuisse« censendus est. Quae in Antiquitatibus postea gravi stilo ad historiae et philosophiae rationes exegit, ea pridem in saturis, hilaritate conspersa, in doctrinam quandam et quasi artem vivendi effinxisse eum persuasum habeo. Sed cuicuimodi id est, accedit, quod unum corpus librorum fuisse saturas non levi documento est Marcianus Capella, Varronis imitator ingeniosissimus, Nuptiarum duos et Disciplinarum libros septem in unius saturae circuitum conjungens. Quae quum ita sint, rectissime fecit Cicero, quod saturas Menippeas non carmen, quum pedestri oratione cum versibus mixta nova arte conditae fuissent,

non poemata, quum unum corpus essent, sed, quod erant, poema nominavit. Atqui hujus nominis quae sit vis, intelligitur vel ex verbis de Divinat. II. 111. his: »non esse autem illud carmen furentis (Sibyllae) cum ipsum poema declarat (est enim magis artis et diligentiae quam —) tum —«.

Altero loco inter eos libros, in quibus Varro philosophiam attigit, a Cicerone »Laudationes« positae sunt. Laudationes autem quos libros Cicero dixerit, parum liquet. Alienissimae videntur esse ab hoc loco laudationes funebres, quas Goerenzius vult intelligi. Fortasse aliquis cogitaverit de Imaginum libris, in quibus Varro »Pythagoram, qui animas in aeternitatem primus asseruit, Platonem, qui deos esse persuasit, Aristotelem, qui naturam bene loquendi in artem redegit — parca laude perstrinxit.« Symmach. Ep. I., 4. Video philosophos laudatos esse, sed parca laude, et in numero »septingentorum illustrium« virorum; ut philosophiae docendae vel commendandae in his libris, Epigrammatum potissimum arte et multitudine claris, locus idoneus vix fuerit. At in promptu sunt alii libri, qui rebus philosophis omnis generis tractandis simul magnorum virorum laudes celebrasse et ex titulis et ex fragmentis certissimum est, nobilissimi illi post Saturas et Antiquitates Libri Logistorici; quos a Cicerone laudationum aptissimo nomine vocatos esse, sane mirum est, quod adhuc latuerit. Atque de his quoniam acutissime et elegantissime a Ritschelio dictum vidi in libro supra laudato (Index schol. hib. 1845.) satis habui, certos Logistoricorum librorum titulos apposuisse eos, quibus et nomen viri, cui inscriptus fuit liber, et rei in eo traditae index continetur. Sunt autem hi: Catus, de liberis educandis; Messalla de valetudine; Tubero, de origine humana; Curio, de cultu deorum; Marius, de Fortuna. Superest magna multitudo titulorum, et virorum illustrium nomina et rerum singulis libris traditarum, quos quamquam probabili conjectura viri docti Logistoricis libris adjecerunt, nunc quidem mittimus monentes, res philosophas, easque non solum de ethico, quae est Ritschelii sententia, sed de naturali genere petitas, in his multis locis inchoatas vel pertractatas fuisse. Plurimum huc faciunt Tubero, in quo graves locos Pythagoricae philosophiae scriptos fuisse Censorinus docet c. 9. c. 11. et si quid video c. 14. ut parum circumspecte egerit Popma omittens quae arctissime cum iis quae ex cap. 9. apposuit, cohaerent; et Curio, in quo libro Varro de Numae libris, disseruit, quos etiam in saturis videtur attigisse, ut alias dicetur, et quo divinationum genera et deorum interpretationes physicas, res a Stoicis imprimis tractatas, explicavit. Vid. p. 234. Bip. Aliorum philosophandi generum alii admonent tituli. Librum autem illum de philosophia, quem Ciceroni Academica lib. I. scribenti ante oculos fuisse demonstravimus, si, ut probabilis conjectura fert, libris Logistoricis adnumeraverimus, novo argumento, »laudationes« ipsos Logistoricos a Cicerone dici, confirmabitur. De reliquis videndus Oehlerus p. 58. sq. et Ritschelius l. l., in cujus viri ingeniosissimi disputatione id fateor me non assecutum esse, cur aequalibus viris a Varrone singulos libros dedicatos velit. Arbitror enim satis fuisse singulis libris inscribi nomen ejus hominis, sive viventis etiamtum sive defuncti, »cum cujus indole factisque aliquo societatis vinculo rei tractatae argumentum contineretur.« Id quod Cicero fecit in Laelio et Catone. Laudationum enim nomen eo commodius a Cicerone,

proprium librorum indicem, ut etiam in veteribus illis Menippeis fecit apte circumscribente, impositum esset libris Logistoricis, si mortuorum hominum virtutes in his libris aut omnibus, de qua re est quod dubitem, aut pluribus laudatae fuissent. Nec de Oreste illi assentior, qui titulus: Orestes, de insania nisi nos de Agamemnonis filio, a matris Furiis agitato (tandem in septem fluviis juxta Rhegium purgato, quae est Varronis sententia Human. X. p. 207.) cogitare jubet, non apte excogitatus videtur esse. Sed haec et id genus multa, quae scribenti de his rebus ultro occurrunt, non sunt hujus loci. Satis dictum de libris Logistoricis, in quibus quum omnium partium tum naturalis philosophiae locos gravissimos tractatos fuisse exploratum est, ut suo jure hi libri laudis a Cicerone Varroni philosophiam scribenti impertitae aliquam sibi partem vindicare videantur.

Restant prooemia Antiquitatum. Exstitisse autem prooemia Antiquitatum — faciendum enim est post horum verborum interpretationem ab Oehlero l. l. p. 74. proditam, ut denuo haec res demonstretur — Augustinus docet C. D. IV, 3. dicens, utrisque Antiquitatum libris Varronem »singulos libros praemisisse, qui communiter prius de omnibus loquerentur.« Atqui in prooemio Divinarum res philosophicas fuisse, easdemque ex intima philosophia petitas, certissimis testimoniis compertum est. Nolumus jam repetere, quae doctis et Varroni perutilibus curis Merkelii Prolegom. Ovid. Fast. p. 106 sq. explicata sunt, ea tantum parcis litteris persequentes, quae Merkelius, pro consilii sui ratione, aut omisit aut brevius attigit. Disseruit autem Varro hoc libro de tribus illis theologiae generibus, naturali, fabuloso, civili. Vid. August. C. D. lib. VI. Tertull. ad Natt. lib. II. Boethius de diis et praesenf. p. 392. cf. Schoemann de diis Manibus cet. p. 4. Francken Fragmenta Varr. cet. (Lugduni - Bat. 1837.) p. 40. et quos ipsi excitavimus Comment. de Varr. p. 4. cf. etiam Lactant. de Ira. c. 11. fin. Et quum de naturali theologia, cujus summam brevem Augustinus C. D. VII, 6. posuit, in primo libro »paucissima praeloqueretur« August. C. D. VII, 5, de animi immortalitate plenissime tractavit, Servio teste, cujus verba Aen. VI, 703. haec sunt: »— in quo tractat de Platonis dogmate, quod in Phaedone positum est περὶ ψυχῆς — de qua re etiam Varro in primo Divinarum plenissime tractavit. Hoc autem continet —« In quibus non debebat haerere Merkelius l. l. p. 112. praesertim quum quo cognationis vinculo haec quaestio cum ipsa naturali theologia conjuncta fuerit ipse Augustinus ll. ll. apertissime doceat. Quod autem in principio nostrae disputationis posuimus, Varronianae philosophiae consilium atque indolem eam fuisse, ut Varro undecunque admissis naturalium rerum interpretationibus reconditis Stoicam philosophiam amplificaret, ejus rei manifesto quae a Varrone de animi immortalitate instituta est quaestio documento est. Nam quum in hac causa Stoici ipsi parum sibi constarent (vid. Lipsius Physiol. St. III, 11.) Varro, patriis sacris imbutus, Platonis (Servius l. l. v. 733. coll. Augustin. C. D. VII, 28.), Empedoclis, (Servius l. l. v. 714. de quo loco videndus Th. Bergkius in Zimmermanni Ann. schol. 1837, N. 55. coll. Serv. Georg. I, 34. de quo loco scientissime ut solet idem Bergkius commentatus est de Emped. p. 32.), aliorum doctrinam quasi quandam accessionem ad Stoicorum placita adjunxit. Idque fecisse eum

evincitur quum Saturarum quibusdam reliquiis, tum iis quae ex primo Antiquitatum libro Nonius exscripsit p. 214. comparatis cum Varronianae doctrinae particulis quae sunt apud Servium ll. ll. Macrobium Somn. Sc. p. 53. Bip. Boeethium l. l. p. 390. A singulis illustrandis nunc quidem abstinendum est, hoc vero addendum, Varronem confundendo et conciliando aliorum, Platonis praeter ceteros, sententias cum Stoicorum placitis non eo progressum esse, ut deum et humanam animam a mundo et corpore humano separando Stoicae disciplinae penitus convelleret et everteret fundamentum. Quod ita esse non multum abfuit, quin Merkelius pronuntiaret l. l. p. 112. dicens: »Quodsi Varro, ut in loco Augustini est (C. D. VII, 23.), pervenire tantum in astra vim aethercam dixit, usus est Platonico in sententia Stoicorum temperamento: sed dubito, an eo verbo rem perturbaverit Augustinus.« Fortasse Merkelius in his quoque de mala fide, vel de mendacio cogitavit, quo adhibito Augustinus Varronis doctrinam pervertisset; quod illum fecisse uno velem luculento exemplo demonstratum esset. Nam Mundum a Varrone, Zenonem sequente (vid. Lipsius Physiolog. St. I. c. 4.) Jovem dictum esse (vid. Merkelius l. l. p. 225.) eundemque Janum, videlicet suo utrumque jure, nihil in se habet, quo offendaris, et fallendi studium ab Augustini (Tertulliani quoque) et ingenio et consilio sane non dubito quin alienum fuerit. In hac praesertim causa tantum abest, ut Augustinus quidquam turbaverit, ut in ipsa Stoicorum doctrina aliquid fuisse certum sit, quo Stoici ipsi contra se pugnare videantur. Ignis enim quum a Stoicis elementa (»maximas partes mundi«) terram, aquam, aerem, tranare dicatur, »reliqua quarta pars ipsa tota natura fervida est,« Cic. N. D. II, 10., et secundum eandem rationem sidera, etsi ex aetheris purissima parte gigni dicuntur, neque alia praeterea esse admista natura, Cic. N. D. II, 15, in quo loco potissimum nititur Merkelii ratiocinatio, tamen in aethere gignuntur, ut animus mundi, quem ignem esse asseverant, omnes partes mundi (»est autem nihil in omni mundo quod non pars universi sit«, Cic. N. D. II, 10.), etiam ipsa astra permeare dicatur. Ut est in Acad. II, 37.: »Erit ei (Stoico) persuasum, etiam solem, lunam, stellas omnes — esse deos, quod quaedam animalis intelligentia per omnia ea permanet et transeat.« Videndus est Lipsius, qui praeclare de his disputat in Physiol. St. I, 4. 7. 8. et Francken l. l. p. 63. Varronis sententiam diligenter explicans, nec is Lipsio praetermisso Jam vero nobilissimus ille locus Augustini, qui Merkelio offensioni fuit, non uno modo depravatus, sic restituendus videtur esse C. D. VII, 23. Varro p. 222. Bip. »Tres esse affirmat animae gradus in omni universaque natura: unum — qui non habet sensum —; secundum —, in quo est sensus, hanc vim pervenire in oculos, aures, nares, os, tactum. Tertium — qui vocatur animus, in quo intelligentia praeminet —, hanc partem animae mundi dicit deum, in nobis autem genium vocari. Sic ergo et in anima mundi tres gradus instituens unam partem ejus lapides esse dicit et ligna et hanc terram, quam videmus, quo non permanat sensus. Aliam vero, quam sensum vocat ejus, ut astra (vg. aethera). Tertiam porro quam et animum (vg. animam) ejus nuncupat, quae scilicet pervenit in astra: eam quoque asserit facere deos, et per eam, quando in terram permanat, deam Tellurem, quod autem inde permanat in mare

atque oceanum, deam esse Neptunum.« *) Tertium gradum aethera nominare potuisset et fortasse nominavit sic: »Tertiam porro aethera, quem et animum ejus —« sed id nihil refert. Astra autem, ut puto, bis posita manum emendatricem movebant hominis sententiam male perspicientis. In margine editionis Basil. 1542, qua utor, ascripta est pro varia lectione, quam receptam video a Franckenio l. l. p. 102., horum verborum paraphrasis, quae, quum aliena Varroni obtrudat, nostra confirmat. Est autem haec: „al. vocari. Esse autem in mundo lapides ac terram, quam videmus, quo non permanat sensus, ut ossa, ut ungues dei (sic). Solem vero, lunam, stellas, quae sentimus, quibusque ipse sentit (sic), sensus esse ejus. Aethera porro animam ejus: cujus vim, quae pervenit in astra, ipsam quoque facere deos: et per eam" —. Haec ascripta esse ex mente eorum, qui doctrinam illam, qua homo *μικρὸς κόσμος* esse docebatur, puram putam in Varronis libris esse non tam viderent quam optarent, persuasum habeo. — Sed in animo humano definiendo totus paene, ut dixi, Platonis se accommodavit disciplinae, quod intelligitur ex verbis ap. August. VII, 6. Varro p. 223. et ap. August. XIX, 3. Varro p. 334. positis. Unde explicandus locus multis modis impeditus in Satura Mutuum muli scabunt p. 293. hic: „Grallatores —. sic illi (h. e. homines qui in grallis stant) animi nostri sunt: grallae crura ac pedes nostri, ex se *ἀκίνητοι*, sed ab animo moventur." In quibus verbis Oehlerus „sic illae animi nostri sunt grallae," scribens dubito an sententiam Varronis turbaverit magis quam emendaverit. Doctrinam autem illam, secundum quam permeari a deo omnes mundi partes Stoici putabant, (*θεὸν εἶναι πνεῦμα διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου*), male excogitatam esse, ut quae secum ipsa pugnaret, ipse Tertullianus monet, ad Natt. II, 4. verbis his: „Ecce enim Zeno quoque materiem mundanam a deo separat," ridendi causa, ut ego quidem arbitror, addens „vel eum per illam tamquam mel per favos transisse dicit." Quod idem in Varronem transferre licet, qui quamquam de deorum animique humani virtutibus disputans Platonis, Empedoclis, aliorum usurpavit placita, de animi tamen natura mundo et corpori inhaerentis, non extrinsecus adjecti, dicens Stoicorum vestigiis insistit. Testis est Tertullianus his (ad Natt. II, 2. fin.): „Unde et Varro

---

*) cf. August. l. l. c. 5. Varro p. 222. »Antiquos simulacra deorum et insignia ornatusque confinxisse (ait Varro), quae quum oculis animadvertissent hi, qui adissent doctrinae mysteria, possent animam mundi ac partes ejus, id est deos veros, animo videre«. Varronianae doctrinae vestigia quaedam vix dubia deprehendisse mihi videor in Prudentii carminibus. Contra Symmachum II., 227. »Unus ego elementa rego (deus verus loquitur) — nec participes sociosve requiro. — Angelicas legiones — nosse meum est et quae natura creatis subsistat (Varro: »dei est scire« vid. supra). — Tu, me praeterito, meditaris numina mille, Quae simules parere meis virtutibus, ut me Per varias partes minuas — Nec pars esse queo — Crede, quod ex nihilo formavi, pars mea non est.« cf. v. 214. sq. In parere monendum est, splendendi esse notionem. cf. I., 440. sq. Peri Steph. hym. 9., 369., 384. similia reperiuntur multa ut Apotheos. v. 147. in hircoso Cynico ib. v. 201. haereo. Apta foret Stoicorum significatio; sed de Romano Cynico, inter Platonem et Aristotelem immisso, cogitare non audeo. Denique Contra Sym. I., 296. sq. »Id duxere deos: colles, freta, flamina, flammas. Haec sibi per varias formata elementa figuras Constituere patres. — Neptunum — Vulcanus.« Quae verba cognati quid habere cum illis Varronis arbitror. V. 298. autem non flumina, ut editum est Colon. 1701., sed flamina scribendum esse, illico perspexit Ungerus.

ignem mundi animum facit, ut perinde in mundo ignis omnia gubernet sicut animus in nobis. Atqui vanissime. Nam cum est, inquit, in nobis, ipsi sumus, cum exit, emorimur. Ergo et ignis, quum de mundo per fulgura proficiscitur, mundus emoritur." Quae verba, usurpata ab Isidoro Origg. VIII, 6, 21. et Beda alicubi, dubium jam non potest esse, id quod Ritschelio dubium fuit, de Varr. Discipll. p. 49., quin primi Divinarum libri, fortasse etiam XVI. libri, non enim liquet, fragmentis addi debeantur. Denique Augustini verba adjiciam (C. D. VII, 5.) Stoicam non Platonicam Varronis doctrinam perspicue describentis, quum ipsum Varronem — delectatur enim hac apostrophe — alloquitur his: „Anima tamen tua tam docta et ingeniosa, ubi te multum dolemus, per haec mysteria doctrinae ad deum summum, id est, a quo facta est, non cum quo facta est; nec cujus portio, sed cujus conditio est: nec qui est omnium anima, sed qui fecit omnem animam — nullo modo potuit pervenire." Quam laudem alio loco (C. D. XIX, 22.) parum abfuit, quin ipse Augustinus ei concederet dicens: „Ipse deus est (verus), quem doctissimus Romanorum Varro Jovem putat, quamvis nesciens, quid loquatur." —

Ex iis quae hucusque disputavimus intelligitur, in prooemio Antiquitatum divinarum res ex maxime reconditis naturalium rerum initiis petitas, easque non ut in saturis *σπουδογελοίως*, sed ut in libris Logistoricis more et modo philosophorum fuisse scriptas. Quid igitur jam de prooemio Antiquitatum humanarum statuemus? Ipse olim, perlustratis iis fragmentis quae huc pertinere viderentur, memor prooemii Divinarum occultissimas de animae humanae natura disputationes continentis, eam animo informavi opinionem, Oehlero parum probatam, ut Varronem in prooemio Humanarum non minus curiose et subtiliter de corporis admirabili vi ac natura philosopha ratione (*ἀνθρωπολόγως*) egisse existimarem. Cui sententiae ne hodie quidem iteratis curis habeo quae detraham aut addam. Itaque si qui sunt harum rerum studiosi, videant Comment. de Varr. Antiqq. p. 15. — *)

Sed res jam eo per ducta est, ut meo judicio de Ciceronis loco pronuntiem. Hoc autem intellexisse mihi videor, quod Cicero de Varronis libris philosophis judicat, optime convenire cum iis, quae quum aliunde tum ex ipsis librorum deperditorum fragmentis de Varrone philosophiae studiosissimo edocemur: Varronem studium philosophiae, quod maximum et optimum munus a diis homini datum esse profiteretur, sibi ipsi sumpsisse ad perdiscendum, ad scribendum — atque hinc agnoscimus virum virtute Romana praeditum — sibi elegisse res Romanas, quae post Aelii obitum (vid. Suringar Hist. crit. Schol. T. I, p. 41. et Heusde de Aelio Stilone p. 50.) nemo doceret. In iis litteris autem Varronem minime a philosophia

---

*) Multis locis edoctus in librorum titulis et in numeris (cujus rei insigne exemplum nuper proposuit Ungerus de Aemilio Macro p. 6.) maxime frequentes esse liberariorum errores, atque in iis restituendis audaciori conjecturae locum concedi, ego quidem diu persuasum habeo in Servii illa notatione (Aen. VIII., 564): — „Hercules vocabantur. Licet eos primo XLIII. (Codd. ap. Bodium: in XLIII. al. CXLIII. et XLIV.) enumeraverit," latere: primo Hum. Ut numerus libri Varronis jam antiquitus detortum sit in numerum, quo illa fortium virorum manus censeretur. Quid quod etiam haec suspicio animum meum subiit, in eadem nota una latere ipsum illum virorum fortium numerum, quisquis fuit, quem Varro confecerit. Sed talia facilius sequimur, quam affirmamus.

abstinuisse, sed abmiscuisse quae maxime sibi idonea viderentur ad rerum causas explicandas placita Stoicorum, et si quae cum his aliqua cognationis societate conjuncta esse viderentur. Ejusmodi librorum a Cicerone laudata video tria nomina — Saturae Menippeae, Laudationes, prooemia Antiquitatum —, duas species, unum genus. Atque unum genus describi certissimum est ex iis, quae Cicero responsionis loco addit c. 3, 9., in quibus Saturae mentio ita adjecta est (atque ipse — fecisti: philosophiamque), ut additis novis rebus nullis, in eas quoque cadere intelligatur, quae de reliquorum librorum argumentis satis copiose exposita sunt; quorum verborum tantummodo haec: »rerum — causas aperuisti« de philosopha scribendi ratione dicta esse non est quod moneatur. Deinde Species duas quas dixerim, in aperto est, siquidem quas res Varro in Saturis, ut jucunditate lecturos alliceret, Menippea hilaritate conspersit, in laudationibus et in Antiquitatum prooemiis litteris vere philosophis persecutus est. Jam quum omnis horum verborum vis posita sit in opponenda Menippeae hilaritati philosopha scribendi ratione, offensioni sunt verba ἀσυνδετῶς posita: »Menippum imitati, non interpretati«, quibus cogimur omnem cogitandi vigorem convertere in sententiam admodum levem, quae fortasse erat cur adjiceretur, non cur priore loco poneretur. Quis enim unquam, cui legere licuit Menippea illa, in eam se contulerit opinionem, ut Menippi Cynici nescio quos libros a Varrone in latinum sermonem translatos esse putaret? Deinde notiones hilaritatis et jucunditatis, soluto eo quo conjunctas fuisse oportuit vinculo, nunc male in diversas locos disjectae sunt. Quibus rebus diligenter perpensis, Ciceroni restituenda esse arbitror haec: »Et tamen in illis veteribus nostris, quae Menippum imitati, quo facilius minus docti intelligerent jucunditate quadam ad legendum invitati, — non interpretati — quadam hilaritate conspersimus, multa admista ex intima philosophia, multa dicta dialectice, quae in Laudationibus, in his ipsis Antiquitatum prooemis philosophice scribere voluimus; si modo consecuti sumus«. — Verba enim »quo facilius — invitati« postquam propter expressam verborum imitati et invitati similitudinem exciderunt, ex margine, in quo more solito ascripta erant, in eam quam nunc tenent sedem male illata sunt, quam eo facilius aliquis veram esse putare poterat, quod nihil frequentius apud Ciceronem est illa relativarum vocum conjunctione: quae, quo. Ceterum philosophice scribere aeque latinum esse arbitror ac dialectice dicere, quod si cui minus Ciceronianum esse videbitur, is reputet, Varronis haec ore et fortasse, quod supra tetigimus, more pronuntiata esse; philosophiae autem ut tertius casus sit, quod ipse aliquando probavi, a Ciceronis consuetudine prorsus abhorrere nunc perspexisse mihi videor. Nec tamen repugno, si quis pristinam verborum a me transpositorum sedem aut post »nostris quae«, aut post »interpretati« aut denique post »conspersimus« fuisse contendat, quamquam facillima ea quam proposuimus emendandi ratio videtur esse *).

---

*) Oehlerus, qui novissime de hoc loco disputavit, p. 74. sana esse verba ratus haecce commentus est: »Male hunc locum habuerunt editores atque interpretes, cujus structura licet paulo (?) incommodior sit, tamen satis apertam (?) sententiam praebet hanc: „„quae quo facilius minus docti intelligerent et jucunditate quadam ad legendum invitarentur, inter laudationes, (h. e. dictorum factorumque memorabilium frequente mentione illata,) quae ipsae tanquam prooemia antiquitatum appellari possunt, [cf. p. 78.] (h. e. quibus ipsis antiquaria studia nituntur) philosophiae h. e. ad illustrandam philosophiam et ad studia ejus commendanda) scribere voluimus““ cett.« Vide etiam p. 85.

5. Quod autem diximus a Cicerone Varronem dici, quas res philosophas Menippea hilaritate conspersas in Saturis scripsisset easdem philosopha ratione in Laudationibus et in Antiquitatum proëmiis tractasse (multa admixta — quae in proëmiis), id rectissime dictum esse, quamquam ex iis, quae supra diximus, satis certum videtur esse, tamen faciendum est, ut addendis luculentis quibusdam exemplis confirmetur. Nam gravissimi quique loci de naturali philosophandi genere: de natura deorum, de mundo, de elementis, de origine humana, de immortalitate animi, quos in Antiquitatibus rerum divinarum, quum in aliis libris tum in proëmiis, quae non magnopere adverser, si quis praeter primos quosque libros etiam aliorum librorum eas partes, in quibus, ut Augustinus ait, Varro de rebus philosophis praelocutus est, appellata esse dicat, more philosophorum a Varrone tractatos esse intelleximus, iidem recurrunt frequentes in Saturis, non desiderantur in Logistoricis. Cujus rei insigne documentum est is liber, quem jam supra nominavimus, cui inscriptum fuit: Tubero, de Origine humana. »Quae fragmenta, reconditae antiquitatis plena, emendata auctaque et notis illustrata ad editionem habemus parata«, sunt verba Havercampii in Tert. Ap. p. 96. Fragmentum autem hujus libri, quod Probus in Virg. Ec. VI, 31. pag. 351. servavit: »quattuor elementorum facta descriptio, ad quam imaginem Varro mundo ovum comparavit in logistorico, qui inscribitur Tubero de origine humana, sic dicens: coelum est testa, item vitellum terra (vg. ut terra), inter illa duo humor, quasi in sinum clusus aëri (vg. quasi limus inclusus veri; apud Junium Animadvers. Gruteri Lampas T. IV. pg. 584: Ilcinus), in quo calor. In eodem etiam libro Varro interpretatur, vitellum appellatur, quia nutriat vitalia«, aperte docet, Varronem originem humanam ex intima naturali philosophia repetisse et disputationi suae simul adjecisse subtilissima reconditarum rerum examina. Fortasse etiam Xenophanis memoria non aliena fuit ab hoc libro, siquidem Probus l. l. addit: Xenophanem Colophonium (cf. Macrob. Som. Sc. I, 14. p. 73.) cum aliis binis tantum principiis mundum discriminasse, terra et aqua (erat enim Macrobio teste hic mos Varronis, ut allatis aliorum sententiis et refutatis, ultimo loco suam ipsius poneret.); et Empedoclis, quem nominatum video a Lactantio de Opificio dei c. 17., in quo libro equidem non dubito, quin multa hujus libri servata sint fragmenta, quorum quaedam, non omnia, inter incerta relata video pg. 380. sq. Bip., veluti, quod l. l. legitur, »Varro ita definit: anima est aër conceptus ore, defervefactus in pulmone, temperatus in corde, diffusus in corpus (cf. L. L. V, 59. Lips. Physiol. St. III. 9.)«. Post quae statim sequuntur: »an si mihi quis dixerit aeneum esse coelum, aut vitreum, ut Empedocles ait, aërem glaciatum«. Ex quibus intelligitur quo societatis vinculo ea, quae Varro de origine humana proposuit, cum iis conjuncta fuerint, quae de mundi natura et figura disputasse eum fragmenta ascripta docent. Nobilissimam autem mundi cum ovo comparationem, de qua Junius. l. l. et, ut alias omittam, Lobeckius Agl. pg. 476. copiose nec Varronis loco emendate scripto, ut nos verba posuimus, omisso tractarunt, Varro etiam in libro de Geometria, geometricas rationes sequens, pronuntiavit verbis a Cassiodoro de Art. et disc. c. 6. p. 560. b. servatis his: »mundi quoque figuram curiosissimus Varro longae rotunditati in geometriae volumine comparavit, formam ipsius ad ovi similitudinem trahens, quod in latitudine quidem rotundum, sed in longitudine

probatur oblongum.“ Quae verba Ritschelius primus Varroni reddidit, Discipll. pg. 8., qui tamen in eo errat l. l. pg. 49., quod mundum in his solam tellurem dictam putat; mundum enim ipsum intelligi manifestum est tum illo loco, quem ex Probo exscripsimus, tum verbis Marciani Capellae §. 849. ed. Kopp., quae in hac ipsa Varronis sententia fundata videntur esse. Accedunt praeterea fragmenta Pythagoricae sapientiae plena, quae a Censorino servata partim ascripsit Popma partim omisit, in quibus sunt, ut supra diximus, c. 9. 11. et 14., quae nobilissimas Pytahgorae rationes musicas continent, et quas de aetatis hominis, adhibita ipsa Tuscorum recondità doctrina, satis curiosas Varro instituit quaestiones. Jam vero in Saturis vix dici potest, quot locis has et his similes res attigerit. Ex quibus exempli causa quaedam eligam; nam omnes et longum est et hic nihil attinet referre. Et primum quidem cum Tuberone propter argumenti similitudinem conjungenda est satura Ἕως πότε; περὶ ὡρῶν p. 278. Bip., cui Popma Bibl. Varr. p. 509., nescio unde arcessito titulo, *ΕΛΕ ΗΟΤΕ* inscripsit; Aldus uno loco περὶ ὁρῶν. Nam de aetatibus vitae humanae, re a Varrone diligenter et multis locis tractata (cf. Comment. p. 26.) dictas esse ὥρας, evincunt paene verba a Nonio servata, sic, ut ego puto, distinguenda: »Vitae cursum ut cognoscere possem, et quae servitutis et libertatis (h. e. et servorum et liberorum hominum, ut quorum utrorumque eadem esset et nascendi et crescendi et exeundi (cf. L. L. V, 60.) conditio; vid. Macrobius Sat. I, 11. p. 245. »quasi non — immo homines«), ab origine ad exodium ductae«. Titulo autem Ἕως πότε; quaeri puto, quousque vita humana extendi possit; de qua re quid senserit Varro vide ap. Censorinum 11.11. Deinde proxime ad eam sententiam, qua in mundo ovi similitudinem esse dixit, accedit Satura, cui propter hanc ipsam similitudinem Dolium aut Seria inscriptum fuit, cui cum Diogene, quae est Popmae et Oehleri sententia, nihil, cum Stoicis et, si quid video, arcana religione multum commune fuit. Sic enim de eo libro Probus ad Virg. Ecl. VI, 31. p. 353. Lion: »Sin vero coelum pro i g n i (in his versibus) intellexerimus, q u e m e u n d e m, m u n d u m e t κόσμον d i c t u m p r o b a t Varro in Cynicis, quem inscripsit Dolium aut Seria, (Ceria) sic: Mundús domus est maxíma homulli, quam quínque altitonae flámmeae (al: fragmine; Barth. Advers. 49, 9. 2295: segmine.) Zonaé cingunt per quám limbus pictus bis sex signis stellis mirantibus (? stellimicantibus Junius Animadv. Grut. Lamp. T. IV. p. 384. Müller L. L. p. 302. cum aliis, quos vide ap. Oehlerum) altus in obliquo aethere Lunae bigas (al. binas) acceptat. — Et appellatur a caelatura caelum; graece ab ornatu κόσμος, latine a puritie mundus«. Unde sit quod in Bip. p. 271. additum est: »Postumi cui seplasia foetet«, ignoro. Anapaestos agnoverunt Hermannus E. D. M. p. 388. Müllerus l. l. Oehlerus. De singulis multa dubitatio, ut ipse Hermannus »haec aliis emendanda reliquerit«. Nos sententiae insistimus: mundus enim Stoicis perpetuo vocatur domus hominum et deorum, ut ap. Ciceronem de Nat. deor. II, 35. et 62.; ut bene Oehlerus explicaverit indicem Saturae, cui inscriptum videtur fuisse Ἀνθρωπόπολις p. 97. Oehl. mundum hoc nomine dici affirmans; similiter tellus a Varrone in Satura incerti tituli Pseudonea p. 303. Bip. »Per | Aeviternam hominum domum | Tellurem propero gradum«, in quibus Glyconeos inesse Meinekius suspicatur, Annall. Antiquitt. 1845. N. 93. — In illo igitur saturae Dolii fragmento, cujus interitum est

quod doleamus, Stoica placita persecutus est, idque non ridendi causa fecisse putandus est, sed docendi, quod primarium consilium fuit Varroni etiam in Saturis scribendis. Dolium autem aut Seriam vix dubium esse potest quin huic saturae inscripserit, ratione aliqua habita dolii sive seriae illius sacrae, quae in Vestae atrio servabatur, ut ipsum deae templum, mundi aut terrae rotunditatis imago. De qua re a Varrone in Antiquitt. div. tractata legentes adire jubeo Merkelium Prolegg. Ovid. Fast. p. 247. Muellerum Fest. p. 263. Pellegrinum de Sacris inter patres et plebem discriminatis (Lipsiae 1842.) p. 36. Caelum autem a caelatura dictum esse Varro vix affirmare poterat (cf. Mueller L. L. p. 299.), nisi probata Stoicorum sententia, qua ignem artificem esse perhibebant (cf. Cic. N. D. II, 22.), quam rem tangit contra Varronem disputans Tertull. ad. Natt. II, 5. dicens: »ita credere contingit elementorum potestates et ar(tificia) esse, quae sunt servitutes et officia.« Sic enim haec verba supplenda videntur esse. — Jam vero de admirabili hominis natura in Satura, cui nomen impositum ab Andabatis p. 262., 15 ita videtur disputasse, ut haec quoque Satura cum Tuberone aliqua argumenti similitudine comparari debeat. Huc faciunt fragmenta a Nonio servata: »in reliquo corpore ab hoc fonte diffusa anima. Hinc animus ad intelligendum tributus.« et a Prisciano: »Sed quidvis potius homo quam caruncula nostra.« Ad corpus humanum ex elementis mixtum spectare videntur haec: »Idque alterum (Lipsius Epist. Quaest. II, 6.) appellamus a calendo calorem, alterum a fervore febrim;« cum quibus conferri debent nobilissimi versus Promethei p. 326.: »Humanam quandam« reliq., de quae re multus est Macrobius. Nam quod Priscianus refert ex hac satura sumptum: »Sed quod haec sola (sic Popma al.: loca) aliquid genunt,« id vix de alia ulla re quam de elementis dictum esse potest. Atque haec omnia de originibus humanis disputata esse, evincunt versus a Carrione (Emendatt. II, 16.) restituti: »Candidum lacte e papilla cum fluit, signum putant | Partuis, quod hic sequatur mulierum e partu liquor.“ Denique de animi humani exitu doctrinam arcanam (cf. „et me Jupiter Olympiae, Minerva Athenis suis mystagogis vindicassent“) a Varrone reclusam esse, satis verosimile fit his verbis: „Anima ut conclusa in vesica, quando est arcte (Ald.) ligata, si perculeris aera reddet“ (sic Codd. et Edd. quod cur Popma et Oehlerus in reddit mutaverint, incompertum est); in quibus Meinekius l. l. arteque scribens anapaestorum numeros refingere conatus est. Nonio enim quis credet, aera in his esse sonum? Nimirum decepit Marcellum memoria Lucretii, tonitruum originem describentis cum aliis tum versibus his: „Nec mirum cum plena animae vesicula parva | Saepe ita dat pariter sonitum diplosa repente,“ quos in suum usum convertit Seneca Quaest. Natt. II, 27.: »sonum, qualem audire solemus, quum super caput alicujus disrupta vesica est,“ et Beda de Rer. nat. c. 28. f. 15. B. (Coloniae 1537.). Sed Varro de anima humana in corpore tanquam in vesica inclusa loquitur, dicendi genere usus, quod etiam Stoicis familiare fuit. Vid. quos laudat Orellius in Arnobii locum mox ascriptum. Ita Lucilius ap. Nonium „ego si quis sum et quo folliculo nunc sum indutus non queo.“ p. 151. Dousa. (1735.) — et „πτίσσε, πτίσσε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον δὲ οὐ πτίσσεις, quae sunt verba celeberrima Anaxarchi, quae leguntur ap. Diog. Laert. IX. p. 59. a Theodoreto et Tertulliano usurpata. Confirmare autem nostram sententiam

videtur Arnobius, quum adv. Gentes II, 76, altero simul illo vocabulo quo Varro usus erat adhibito, dicit: „nihil est enim nobis promissum ad hanc vitam, nec in carunculae hujus folliculo constitutis." — Quibus locis, additis aliis, hanc rem illustratam video ab Orellio ad Arnobii l. l. et Havercampio ad Tertull. Ap. c. 50. Neque omnino ita longe recedit ab hac similitudine, quod Varro de Re rust. I, 1. hominem ait bullam esse (cf. Casaubon. in Pers. V, 19.), et quod in Satura, cui Aristonem Chium secutus Tithono inscripserat, περὶ γήρως (vid. Schneider Scriptt. R. r. Index auct. v. Varro. cf. Suidas. v. Σαρδανάπαλος.) p. 313. scripsit: »sic invitata matura anima corporeum corticem reliquit.« Cui loco Oehlerus Lucilii locum, praeeunte Turnebo Adv. 3, 10., Arnobii, Tertulliani apte ascripsit, minus apte cum Mercero matura (h. e. longaeva, jam digna quae in coelum redeat) in a natura mutans. Quae cum ita sint, ipsum animae ascensum in coelum ex Empedoclis, Platonis, Stoicorum quorundam sententia vix dubium est, quin Varro in hac satura monstrarit. Cujus rei tenue quidem, sed ut arbitror, satis certum vestigium deprehendisse mihi videor in verbis his: »Mortales multi rursus et prorsus meant.« Macrobius enim Somn. Sc. I. c. 12., ubi disserens de animi immortalitate permulta tradit, quae Varronis auctoritate nituntur, ut quae de animae gradibus refert c. 14., haec dicit: »has solis portas physici vocaverunt, quia — per has portas animae de coelo in terras meare et de terris remeare creduntur, ideo hominum una, altera deorum vocatur; hominum cancer —.« Haec a Varrone alicubi esse tradita edocemur verbis Servii in Virg. Georg. I, 34. his: Varro tamen ait, se legisse Empedotimo cuidam Syracusano (nomen Empedotimi restituit Lobeckius Agl. in Add. p. 1357. et Bergkius de Emped. p. 32. Clementis Alex. Strom. I. p. 334. et Suidae v. Ἰουλιανός auctoritate emendationem suam confirmans.) quadam potestate divina mortalem aspectum detersum, eumque inter cetera tres portas vidisse, tresque vias« reliq. — »Ejusmodi autem veterum sapientum — visiones fingi solebant partim ad fraudem imperitorum partim ad otii oblectationem.« Lobeckius l. l. p. 944. Id etsi verum est, rem ipsam tamen negari nequit Varronem probasse, in Platonis blandam transgressum disciplinam, quam Tertullianus, ridens illam meandi et remeandi notionem perstringit, de Anima c. 28. his: »Quis ille nunc vetus sermo apud memoriam Platonis de animarum reciproco discursu, quod hinc abeuntes eant illuc, et rursus huc veniant et vivant et dehinc e vita abeant: rursus ex mortuis effici vivos?« et mox: »si vero Samius sophista Platoni auctor est animarum de recidivatu revolubili semper ex altera mortuorum atque viventium suffectione —«. Huic argumento praeterea vide quam faveat ipsa Saturae inscriptio. Andabatae enim quinam alii sunt proprie quam ascendentes? Et commode hoc nomine hominum animi ascendentes et descendentes dici possunt, andabatarum more se praetereuntes, alter alterum non videntes. *) — Eandem

*) Lusit tamen Varro etiam proverbialem illam ejus vocis vim adhibens, de qua sola cogitant Turnebus Advers. 17, 23, Popma, alii, dicens: »non mirum si caecutis, minus aurum enim non praestringit oculos quam ὁ πολὺς ἄκρατος (ita Turnebus et Mercerus, probante Grauerto Anal. hist. p. 106.),« quibus verbis Menandri versum expressum esse hunc: ὁ πολὺς ἄκρατος ὀλίγ' ἀναγκάζει φρονεῖν, Meinekius monuit l. l.; sententiam autem ipsam: philosophiam plerumque divitum atria fugere, in satura Aga-

sententiam, qua animus humanus in ignem aethereum, unde desumptus esset, redire dicebatur, Varro etiam in Cygno, *περὶ ταφῆς* ita videtur explicasse, ut luctus immodici perversitatem simul reprehenderet. Cui Saturae cur Cygni nomen inscripserit, apertum est ex iis, quae Cicero tradit Tusc. I, 30. ut cygni, qui non sine causa Apollini dicati sint, sed quod ab eo divinationem habere videantur, qua providentes, quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriantur; sic omnibus bonis et doctis faciendum.« Vid. Serv. Virg. Aen. I. 397. cf. Ungerus de Aemil. Mac. p. 4. Anal. Crit. p. 46. adde Marcian. §. 26. Titulum autem hunc ab Alexide comico poeta (Athen XI. p. 472. A.) Varronem mutuatum esse Junius monet; vid. Animadv. in Grut. Lamp. T. IV. p. 469. Ipsum enim animi ascensum describi puto verbis a Nonio servatis: „Tua templa ad alta Phani (sic Ald. al. fani) properans citus itere.“ In quibus verbis quid sit Phani vel fani nemo attulit; certe illius Phani mentio, quam Popma inchoavit, nihil habet, quo commendetur. Scribendum esse puto:

Tua témpla ad alta Phanés properans
Citus itere...

Phaneta autem noli illum Neoplatonicorum intelligere deum ex mundano ovo procreatum (de quo vid. Lobeckius Agl. p. 478. Add. Nicom. Geras. ap. Photium p. 143. et 145. Nonnus IX, 157. XII, 34. XIX, 205.) sed ipsum solem. Macrob. Sat. I, 17. p. 291. »item Phaneta appellant (plerique solem) *ἀπὸ τοῦ φαίνειν*“; quae ipsius Cleanthis doctrina videtur esse, qui soli plurimum tribuit, et qui a Macrobio in eadem re paullo ante laudatus est. Possis pro Phanes etiam scribere Phaenon; Saturni enim circulus ultimus coeli est, ultra quem »mundana perfectio« (Marcian. §. 733.) quo optimis pervenire licet. Quod qui statuerit habebit versum Galliambicum, quem agnovit Hermannus D. E. M. p. 506. Sed magis placet Phanes. De re autem, quam his tetigimus, plenissime, quamquam omisso Marciano Capella, qui plurimum confert his quaestionibus expediendis, tractavit vir eruditissimus Thilo in Synes. hymn. II. Halis 1842. — Alios de naturali genere locos philosophos in aliis Saturis persecutus est, ex quibus unam musicam nomino, inde a Pythagora obscuris reconditae sapientiae quaestionibus adnumeratam. Varro hanc rem pluribus locis aut inchoavit, ut in Tuberone, in libro Logistorico, quem de liberis educandis scripsit, p. 321 Bip., in Satura Parmenone p. 299., aut plenius tractavit, ut in libro singulari de Musica scripto (cf. Ritschelius de Varr. discipll. p. 10. sq.). Insignis autem illustrandis rebus musicis Satura videtur fuisse, cui inscripsit *Ὄνος λύρας* p. 296. Ex qua dubito an Marcianus hauserit, quae §. 723 sqq. tradit (cf. Varro p. 296. Non v. frigere. p. 297. Non v. mansues, cum quibus convenit versus a Meinekio l. l. restitutus Parmen. p 299. Non v. acre et castum); quamquam quae §. 928. de insulis

---

thone his versibus dixit p. 261.: »Neque auro aut genere aut multiplici scientia Sufflatus quaerit Socratis vestigia;« cum quibus est quod conferatur Marcianus §. 578. Kopp. de quo loco mox explicabitur. Optime autem videtur Saturis inscribi quod multos habet explicatus, ut factum in Aboriginibus, in *Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς*, in aliis; etiam in Endymionibus, qui liber ipse quoque ex philosophico argumento fuit aptus. cf. Tertull. de Anima c. 56. »dormitio nostra erit — aut circa lunam cum Endymionibus Stoicorum.«

saltantibus narrat, ex Re rust. III. 17, 6 videtur sumpsisse. Similia fuisse in libro de Musica Cassiodorus docet ap. Ritschel. l. l. In hàc autem Satura celeberrimam illam Pythagorae sententiam, qua stellae errantes dulcissima harmonia concinere putabantur, laudatam fuisse, versus docent elegantissimi, male ab interpretibus habiti, p. 296 hi:

Quam mobilem divum lyram Sol harmoge
Quadam gubernans motibus diis veget.

Cogitabam haec legens prius de nobilissimo illo Cleanthis plectro (cf. Clem. Alex. Strom. p. 569.), sed rectius his versibus Solem, ut Musagetem, Musarum »astricas choreas« (p. 287.) moderantem induci videor judicare. Vid. Marcianus §. 27. sq. Mythogr. III. p. 211. ed. Bod. Simile est p. 304 »anni tetrachordon« de quo cf. Lobeckius Agl. p. 945.

Atque haec satis dicta sint de Varrone in naturali potissimum philosophia versato. Quos praeterea Varro philosophos libros scripsit, eos hic commemorare nihil attinet, quum praesertim praeter librorum titulos vix quidquam reliquum sit. De his qui plura desiderat Bruckerum, Jonsium, Wouwerium, Falsterum adeat, viros de Varrone bene meritos, et qui nuper de his libris scripserunt, Oehlerum l. l. p. 193. et Ritschelium de Varr. discipll. p. 14. sq.

Quod reliquum fuit, ut altero capite doceretur, quid Varronis philosophia valuisset apud posteros, id nunc quidem mittendum est, ne hujusmodi libellorum fines longius excederem. Sed res perquam digna est, quae diligenter pervestigetur. Nam quae Varronis philosophia, Cleanthea fruge, ut poetae verbis utar, insita, detegendis occultis rerum causis docuerat, ea postea colligebantur in sapientiae illam disciplinam (Cicero Philipp. II., 41. 105. »omnis sapientiae ratio« (a Varrone litteris mandata) cf. Lips. St. Manud. II., 7.) quam sequentes homines, qui per »corporalia ad incorporalia« pervenire studebant (Claud. Mamertus de Statu anim. II., 7. in cujus verbis φιλοσοφούμενα Antiquitt. div. esse ipse de Caus. corr. rel. p. 53. pronuntiavi; aliter Ritschelius Discipll. p. 22. cf. August. Retract. I., 6. coll. Seneca Ep. 90. p. 755. Schott.), in Varronis plerumque vestigiis insistunt. Hinc Varro a multis appellatur philosophus subtilissimus, curiosissimus (ut ab August. C. D. VI., 2. coll. c. 6.; profundus a Licentio Ep ad Augustinum: »arcanum iter Varronis profundi«; inter »theologos« (cf. Fabric. Sext. Emp. p. 593. Lobeck. Agl. 994.) relatus est a Cicerone, id quod sequentia suadent, inter »philosophos, qui temerarie ea quae abstrusa et prorsus abdita deus esse voluit, scrutarentur«, a Lactantio de Opif. d. c. 1. coll. c. 13. 14.); hinc Seneca in nobilissima Epistola 88. sapientiae disciplinam describens ipsam Varronis doctrinam describit verbis satis apertis p. 742. his: »Magna et spatiosa res — fatigaberis.« coll. Ep. 90. p. 754. fin.; hinc denique scriptores ii, quos Africanos appellare solemus, Appulejus, Marcianus, Macrobius, et ecclesiastici Tertullianus, Arnobius, Augustinus adeo pleni sunt Varronianae doctrinae, ut Varronem, velut interpretem vetustorum theologorum: Pythagorae, Empedoclis, Platonis, Stoicorum, principem exstitisse ejus sapientiae, quam Neoplatonici mirum quantum amplificarunt, meo jure videor pronuntiare. Praecipue Appulejus et Marcianus, duo clarissima ejus aetatis lumina, ubique fere deprehenduntur in Varronis auctoritate delitescentes; hoc praecipuo vinculo

[illegible] acquievit in Marciani Satiram, cujus [illegible] (lib. III — IX. videlicet liberales, [illegible] [illegible] §. 898. ib. Kopp. Ritschelius l. l. Hieronym. Ep. [illegible] Appulej. [illegible] Trim. p. 297. Bip., cum quibus tandem disciplinas augurales aliquas [illegible] jungit §. 899. coll. 900.) multis locis in Varronis auctoritate niti acutissime nuper Ritschelius, velut facem praeferens in has res inquirentibus, in libro de Varronis discipll. jam saepius laudato aperuit, priorem partem, et elegantissimis poematis et multiplici doctrina splendentem nos nobis sumpsimus ad pervestigandam. Quo autem quis ingeniosior est, eo rarius ipsis verbis ejus viri, quem auctorem habet, utitur; etiam Marcianus Varroniana doctrina, quin etiam Varroniano eloquio Saturam suam multis locis exornavit, nomen Varronis rarius apposuit. Sed uno loco vix dissimulavit Varronem se ejus, quam ipse tenet, sapientiae secutum esse auctorem §. 578. dicens, *Παιδείαν*, Philosophiae germanam, vix cujusquam inter Romanos praeter Varronis limen intrasse, in qua persona minus recte C. F. Hermannus praef. in Marc. p. XX. et Ritschel. l. l. p. 8. Geometriam agnovisse sibi visi sunt. Hoc vestigium secuti singulis exemplis Varroniana multa in Marciani libris latere comprobavimus, ex quibus, ut uno saltem exemplo defungar, locum insignem affero lib. II. §. 140. sqq. quo, quibus coeli regionibus singuli dii habitent, describitur. Quae omnia Varroniana esse contentione instituta cum Tertulliani et Augustini notationibus intelligentes facile perspicient. Ut quae de semideis sive semonibus tradit §. 157. iisdem fere adhibitis exemplis leguntur ap. Tertull. ad. Natt. II., 7. Servium Aen. VIII., 275. coll. Tertull. de Anim. c. 46. Appul. de deo Socr. p. 257.; ut qui praeter illos a Marciano nominantur Varronianis recte addantur, in quibus est »Tages, qui ritum gentis simpuviumque (ita enim scribendum pro sypnumque; vid. Arnob. IV, 31, Var. lectt. Hildebr. coll. Juven. Sat. VI, 343. Prudent. Peri St. II. 315.) monstravit«. — Nec repugnabo, si quis admodum probabili conjectura quae Marcianus ex Etruscorum disciplina augurali sumpta tradit lib. I. 45. sqq. lecta fuisse contendat in Varronis Antiquitt. rer. div. lib. III.

Emenda: p. 1. l. 22: placuerint. p. 3, 6. apte. ib. 14. *Ἀντιοχείαν*. p. 5, 9. subtilitate. p. 6, 10. Cleanthem. p. 7, 15. cui justos. p. 9, 12. revocent. ib. 23. addit. p. 11, 15. inconditam. p. 12, 20. de liberis. p. 14, 12. vellem. p. 16, 25. perducta.